

obstricta videretur, Christum tamen in membris suis suscipiendo, Christum in interiori homine abscondendo officium Marthae indefessa gerebat, nec propter maritalis thori custodiam vel causas temporalium negotiorum oblita est interioris sponsi sui vel gratiae bonorum aeternorum. Quae dum quadam nocte dormiret et corpus quiete relevaret, vocem cujusdam secum loquentis et an dormiret sciscitantis audire sibi visa est. Porro illa dum se indubitanter vigilare responderet, ille subjunxit: 'Filiam, inquit, in utero concepisti. Cui nomen Paula erit; quae fidei merito atque gloriae excellentia quidquid de retro majoribus tuis fulsit in gloria generis ipsa superabit. Ipsa omnem illustris prosapiae generationem virtutum processibus exornabit, et quasi flos quidam de stirpe nobilis parentelae prorumpens, fructum salutis et gratiae et proventum multorum germinabit'. Evigilans itaque Deo devota femina, et licet impraegnata conceptus sui tamen prorsus nescia, in laude Dei visione congratulatur, et quodam divini timoris vel amoris stimulo ad cursum bonorum operum excitata, rebus et animo sanctis meritis invigilabat, activaeque vitae studia impigre exequens, quod divinitus acceperat in promissione ut effectum mereretur ardentissima depoposcit oratione. Natam itaque filiam parentes ejus fonte sacri baptismatis ecclesiae consignant, Paulinae vero nomen Paula suadente abbatissa ipsius virginis amica inposuerunt. Haec Paulina quam sanctae vitae ac conversationis fuerit, quantisque miraculis claruerit, et qualiter cellam sanctae Mariae in pago qui Lancwitz dicitur fundaverit, qualiterque matrem suam facto divinitus miraculo salvatam cognoverit, in libro quem Sigeboto, eiusdem ecclesiae monachus, eleganti stilo conscripsit plenius continetur. Pater vero eius Moricho defuncta uxore facto inter filios et filias de rebus testamento, in cenobio Hyrsaugiensi Swevie sito jugum Domini suscepit, et consummato sub regulari disciplina felici cursu patribus suis additus quievit in pace.

Nicolaus de Siegen, *Chronicon ecclesiasticum* ed. Wegele 1855, p. 270 sqq.:

[Cenobium S. Petri prope Merseburg: fundatur et construitur anno Domini 1091¹⁾ a reverendo dompno Wernhero, ejusque civitatis episcopo. Qui Wernherus fuit vir prudens, Deum timens et hominibus gratus: attamen hic presul multa adversa ab Henrico imperatore sustinuit. Nam a sede sua expulsus iterum reductus solempnem abbaciam prope civitatem in honorem SS. Petri et Pauli construxit.] Erat enim vir nobilis habuitque fratrem germanum, Moricho nomine. Cujus Morichonis filia fuit honorabilis dompna Paulina, que in eodem monasterio prope Mersseburg duas instituit atque construxit

1) Cod: 1097.